Chriſtus plauditur Primitiæ dormientium, quia alij ſurrexere morituri.

acceperunt vitalem halitum, quippe morti amittentes reddiderunt: igitur florem vitæ, quem elargitus fuit mirificè cadaveri vernum tempus, devolutis diebus repetijt autumnus, folijs vitalitatis deciduis deceſis, & decreto conditionis. Renati ſunt, ut morerentur. Chriſtus Sol cognovit occaſum, verùm mortuus eſt in ortum: & plauditur iurè *Primogenitus mortuorum*, *Primitiæ* quoque *dormientium*; quippe è tumulo ſurrexit immortali decore, & alij ſurrexere morituri.

18 Audi Gentium Præceptorem. *Chriſtus* (ait) *reſurgens ex mortuis iam non moritur: mors illi ultrà non dominabitur.* Iam enim peſſundata eſt mortis iuriſdictio, Domini carne reflorente in monumento. Cui igitur mors poſt decidium dominatur, ut Chriſtus adeſpotus, corpore redivivo, vocetur? Statutum eſt hominibus ſemel mori, & Chriſtus mortuus eſt ſemel. An quia mors mortis, reverſio in materiam pulveris, & morte moritur, qui continuò haud excitatur? Altiora intendit Apoſtolus, ut clareat cum excellentia Reſurrectionis articulus. Priùs refloruerant per miraculum aliqui, verumenim poſteà in ſepulchro fuerunt conditi. Chriſtus in ſepulchro induit immortalem decorem, & pulchritudinem: unde Paulus, ut oſtenderet Reſurrectionis eius ſingularitatem: *Reſurgens* (ait) *ex mortuis, iam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur*: aliàs non eſſet novitas, ſi ut cæteri, in ſepulchro floreret, ut moreretur. Aliquod oſtendendum corporis privilegium, ubi palàm fiebat eiuſmodi ſingulare miraculum: & non aliud ut promineret reſurgentis excellentia, quàm quòd in mortuo corpore iterùm ineſſet vita, & non amitteret ultrà.

Rom. 6. 9.

Mors mortis in homine, eſt cadaveris corruptio.

Cur Chriſti reſurrectio dicitur ſingularis?

19 Aliqui DD. inquirunt: Utrum frondes, flores, & fructus virgæ Aäronicæ deinceps perſtiterint? Cornel. Alapid. & Abulenſ. hìc aſſerunt: *Virgam hanc nunquàm fuiſſe deſiccatam: ſed ſemper manſiſſe cum floribus, vel potiùs fructibus.* Semel enim ac floruit, nunquàm, & nuſquàm aruit: & quaſi ſignum vigilantius Chriſti reſurgentis exhibetur; quia mors illi ultrà non dominabitur. Non eſſet ſingularis, mortem prorerentis vita, ſi poſſet eſſe marceſcibilis gloria.

Virga florens Aaronica adhuc in poſterum termes.

Paulus confert primum cum ſecundo Adamo, fragilem quaſſam conditionem vivificante in tumulo; efferque poſteriorem nobiliorem huiuſmodi laude, devicta per crucem morte: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Fuit primus de terra, & terrenus, quia in ſepulchro patuit terra: & ſecundi cæleſtis prorſum formatio; quia ſicut cælum egreſſus eſt de ſepulchro. At dices, de Virgine, & in Virgine Chriſti corpus compactum: quare cùm decoratur., dicitur cælum? An quia ex Virgine, quæ quidem *Cælum animatum*? dixit Idiota, de *Laudib. Virgin.* Hæc eſt cælum novum, & apprimè elaboratum; quoniam in virginea terra habitavit cæli gloria. Sed hoc aliàs. Terrenus dicitur, quia de terra in terram it: cæleſtis; etſi terrenus, cui non prævalet pallida mors: & *Primus homo* dicitur de *Terra terrenus*, quia vidit pulverem; & *Secundus cæleſtis*, quia non vidit, vel ſepultus corruptionem. Cælum neutiquàm alteratur, quippe exotica accidentia inibi nequaquàm intromittuntur: & corpus Chriſti plauditur cæleſte, & de cælo, cùm ſurgit de ſepulchro, induens immarceſcibilem gloriam; quoniam, ſicut cælùm, ultrà non admiſit impreſsionem peregrinam. Propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem: nactuſque eſt Chriſtus ita corporis cæleſtem ſpecioſitatem; ut ſemel tranſactis mortis cruciatibus, ſemper manſerit cum floribus.

1. Cor. 15. 47.

Corpus Chriſti glorioſum quomodò cælum?

Maria cælum animatum. Idiot.

Gloria corporis Chriſti poſt reſurrectionem immutabilis.

20 Lucet inter Chriſti corpus, & Aäronis virgam ſpectabilis collatio; ac ut appareat quòd umbra, etiam patet oculis diſsimilitudo. Virga Aäronica floruit: turba, quæ ſimul, reliquarum aruit. *Candor etenim veſtis, ſplendorem noſtræ denunciat ſolemnitatis*: ait Gregorius Magnus Homil. 21. in *Evangelia. Noſtræ dicamus, an ſuæ? Sed ut fateamur verius, & ſuæ dicamus, & noſtræ.* Miracula quidem aſtruunt: *Multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Monumenta aperiuntur, moriente Chriſto; ut indicarent mortem eſſe ſuperatam, & vitam vitalem humano generi reſtitutam. Surrexerunt Sanctorum multorum corpora, ut per conſortium clarior fieret Chriſti Reſurrectionis excellentia. Adamum, Abrahamum, Melchiſedechum, Iſaäcum, & Iacobum ſurrexiſſe, arbitrantur Athanaſius Serm. de *Paſsione & cruce*, Origenes tract. 35. in *Matth.* Auguſt. quæſt. 161. in *Geneſ.* Moyſen, Ambroſ. lib. 4. de *Fide Reſurrect.* cap. 1. Iobum, Clemens Romanus lib. 5. *Conſtitut. Apoſtolicarum* cap. 6. Theodoretus quæſt. 90. in *Geneſ.* & Paulus Comitolus in *Catena in Iob.* David, Auguſtin. *Epiſt.* 99. ad *Evodium*, & Sophronius Serm. de *Aſſumpt. Virgin.* Quatuor Prophetas Maiores, & Ionam; Alapid. in 27. *Matth.* Tres Pueros, Pineda in *Iob.* 19. v. 25. num. 25. Bonum Latronem, opinatur Theophilus Raynaudus *Libell.* de eo, *cap.* 13. Denique Evam viventium matrem, Franciſcus Lucas

Et gloria noſtra. Gregor. Magn.

Matth. 27. 52.

Quinam Sancti cum Chriſto ſurrexerint?

cas in *Matth.* 27. ex Epiphanio in *Ancorato.* Conſule Lorinum in cap. 2. 29. *Act. Apoſt.* ſed vide Hermetem apud Clementem Alexandrinum lib. 6. *Stromatum*, & Nicætam Græcum Gregorij Nazianzeni paraphraſten *Orat.* 2. Gregorij in *Paſch.* ſomniantes, Platonem in Chriſtum credidiſſe, & reſurrexiſſe. Vide ſi lubet, Bellarminum de *Purgatorio* lib. 2. cap. 8. Alphonſ. Mendozam in *Quodl. quæſt.* 1. *Expoſit.* §. 4. Cornel. Alap. in *Oſee* 13. v. 14. & Franciſc. Suarez in 3. part. D. Thom. *quæſt.* 52. art. 8. *diſp.* 33. ſect. 3.

Fabula de Platone.

21 Qualiter igitur conſurreximus cum Chriſto, vita noſtra ſit abſcondita cum illo in Deum, ita ut vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali, dicemus vita comite Tom. 7. Tautol. 2. Patet modò, quo iure dicatur Paſcha floridum, dum Chriſtus flos convallium inane liquit ſepulchrum: nam ut cecinit Lactantius Carm. de *Reſurrection.* à verſ. 2.

Paſcha florum.

Tempora florigero rutilant diſtincta ſereno.
Altius ignivomum Solem cæli orbita ducit
Splendida ſyncero producunt æthera vultu.
Terra ferax vario fundit munuſcula cultu.
Mollia purpureum pingunt violaria campum.
Paulatim ſubeunt ſtellantia lumina florum.

Lactant. Firm.

Etenim ſi (ut idem ſuccinit Carm. de *Phœnice* v. 89.

Protinus in ſtrato corpus mutabile nido,
Vitalique toro membra quieta locat:
Inde reformatur, qualis fuit ante figura,
Et Phœnix ruptis pullulat exuvijs.
Mirandum ſeſe præſtat, præbetque videnti,)
Tantus ibi decor eſt, tantus abundat honor.

Idem.

DIDASCALIA XVIII.

Martyribus ſola eſt in morte voluptas.

1 NObiliſsimis Chriſti Pancratiaſtis adſcribimus, quod Phœnici aſſignavit Lactantius Firmianus in Carm. de *Phœnice* v. 167. *Dignum & congruum eſt* (dicam cum Ambroſ. *Serm.* 22.) *ut poſt lætitiam Paſchæ gaudia noſtra cum ſanctis Martyribus conferamus: & his annunciemus Dominicæ Reſurrectionis gloriam, qui conſortes ſunt Dominicæ paſsionis. Ut dum ſepulturæ illius prædicamus reſerata clauſtra, & horum ſepulchra referentur.* At quale gaudium? Robur in morte fortiſsimum. *Nihil intereſſe* (ait Senec. *Epiſt.* 66.) *utrùm aliquis in gaudio ſit, an in eculeo iaceat, & tortorem ſuum laſſet.* Poteram reſpondere, quod Epicurus ait: *Sapientem ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce eſt, & ad me nihil pertinet.* Minimè, quia non eſt contra naturam pati: cæterùm cùm ad virtutem pertinet: utraque via par eſt, & quæ procedit per læta, & quæ per triſtia. *Stet* (ſubdit Stoicus ibid.) *illic licèt carnifex, ſtet tortor, atque ignis; nec quid paſſurus. Nec quia?* Utique. Confert, & aſtruit Martyrum virtus, quod cogitatione cogitavit Stoicus.

Lactant.

Ambr.

Senec.

Virtuti dolere vel pati.

Idem.

2 De iuſtis, quorum animæ in manu Dei ſunt, dicit Sapiens: *Non tanget illos tormentum mortis.* Græcus textus ommittit, *Tormentum.* Quare? dices, igitur cauſa latet. Si tangit mors, & amariſsima; nonne pœna? Imbecillibus quidem, ſed non athletis; quippe non eſt illis tormentum tormentum mortis: & perperàm vocabitur mortis acerbitas, cùm ſola ſit illis in cruciatibus voluptas. *Morte morieris*, dicitur Adamo, ſi peccaveris. Ideſt, ut vidimus in *Expoſitione literæ* num. 6. 13. *Mortalis eris, & dolore morieris.* Unde Ovvenus lib. 1. *Epigram.* 97.

Sap. 3. 1.

Non tormentum.

Geneſ. 2. 17.

Fert mortem dolor, aufert mors optata dolorem.

Ovven.

Hæc menſura mortis communis: præſtabit ſanè mors ſine doloribus mortis: igitur mortem, quam ut homines, inclyti athletæ patiuntur; ut martyres Chriſti quaſi non patiantur.

Aſtruit Evangelicus Vates. *Dolens clamat in doloribus ſuis.* Quiſnam in doloribus non clamat? *Intelligit adverſarius* (inquit Cyprianus *Epiſt.* 1. ad Cornelium) *milites Chriſti vinci non poſſe: mori poſſe: & hoc ipſo invictos eſſe, qui mori non timent.* Quomodò incurſus terrebit formidinis, ſi mors fomes voluptatis? Perperàm triſte, quod dulce. Stet licèt carnifex; cruciamen vitæ incommodum, ſed non tormentum. Nec quid Martyres patiuntur: igitur dum alij in doloribus dolentes clamant; illi dolentes voluptuosè exultant.

Iſai. 26. 17.

Cypr.

Cruciamen vitæ incommodum non tormentum.

3 In capite pugilum miramur exemplum. De thalamo Sponſi dulcis Amaſia affatur: *Lectulus noſter floridus.* Haud aureis filis ſubtili acu, vel opere Phrygio ducta, aut picta fulcitur Dilecti culcitra; ſed pro plumis, & floccis, floribus ſubſternitur molliſsimum cervical: ita ut potiùs ſodales novitate percitæ, contueamini iucundiſsimum viretum, quàm pulvinum, & ſtragulum. Tabernaculum ſanè pulcherrimum! At quetulam animadverte Sponſam quærentem, apud Hermannum Hugonem in *Deſiderijs Animæ* lib. 2. *Voto* 10.

Cant. 1. 16.

Herm. Hug.

Ah! malè te placido quæ ſivi ſpontè cubili,
Qui crucis in thalamo reperiundus eras.

Amor crucem arbitratur requiem.

In cruce dormit: ergo in cruce lectulus. Erit ne Sponſa lectulus floridus: Crepere ſternetur floride faſciculus mirrhæ: imò & aptè, ſiquidem non aliam ſolicitat requiem, niſi in oſtentum amoris, dirum cruciamen.

Cruciatum ſomnum.

Sine dubio crux fuit eculeus, ubi non tantùm membra, ſed vulnera torquebantur, quorum cruore tanquàm philtro, rebellium pectora mulcerentur: & Sponſus animarum crucifixus quietè dormit, etiam dum dolor acutiſsimè pungit: quia quod alijs cruciatus, amori eius dulciſsimus ſomnus. Crux igitur lectulus dirus, & durus; ſed quia talis, charitati floridus. Iucunditas eſt pro hominibus pati. Pœna blanditur amori, ac illâ nactâ, requieſcunt & torta membra: unde qui videtur eculeus, patet lectulus, & floridus.

Eculeum lectulum.

4 Vehementiam amoris exprimere intendit, & ſignat lectulum immite crucis, & ignobile lignum. Pati demonſtratio erat dilectionis; at amplioris charitatis indicare non pati: ſiquidem quicquid detrahebat ſtudio, conferebat obſequio. Abſtulit activitatem doloris dolor deſpectus: igitur licèt acrem, ita ſuperabat virtus; ut reretur plumam, qua membra collocarentur, ipſum moleſtiſsimum lignum, in quo membra cruciabantur.

Amplioris ſignum eſt charitatis, oblivio doloris.

Ulteriùs. Dilectus invitatur à Sponſa in lectulum floridum, quo libitò quieſcat; & ille ultrò in ligno crucis dormitat. Doloribus vivit: delicijs moritur, cruciamine quieſcit, quiete verò cruciatur: cùmque feſtivus quieſcat in florido pulvino doloris, & videat in morte etiam extremum cruciaminis; gaudet, & quieſcit: quippe illi, philantropo cœleſti iucundiſsima culcitra, ſtipitis duri amariſsima tormenta.

Amans delicijs moritur, doloribus vivit.

5 Præterea. Contendebat ſocia crudelitate hominum ingratitudo, per crucem, vincere in pectore Chriſti virtutem, & charitatem. Cogitavit lignum, tamquàm acrius tormentûm. Quod acrius placidiorem conciliabat ſomnum. Ut plus torqueretur, iidem ſauciatum corpus movebant, & illo motu dormientis lectulum blandè iactabant. Unde lignum convertitur in lectulum floridum; quoniam quaſi cervicali dormit inibi quietè, quin excitetur à pungente dolore. Charitas, & virtus amoris appetit, & deſpicit mortem: appetit, tanquàm exhibitionem virtutis: deſpicit, ut momentum pondus inanitatis. Perpende. Colloquebantur de tormentis eius duo diſcipuli, ſe conferentes in Caſtellum Emmaus, *Quibus ille*

Etiam amariſsima tormenta ſua via

Luc. 24. 19.

dixit, Quæ? Quæ, & ſuſtinuit? Mortem acerbam, qui guſtavit, neſcit? Utique. Maximum exiguum præ amoris pondere, & virtutis magnitudine. Quid mirum, ſi quieſcat amplectens crucem, cum duntaxàt in morte virtus habeat voluptatem?

Vel maxima tormenta minima amanti.

6 Sopor ille, quem Dominus miſit in Adam, ut conſtat ex *Geneſ.* 2. 21. iuxta ſenſum Auguſtini *lib.* 12. contra *Fauſtum*, ſignabat Chriſtum doloribus in cruce dira, portantem nos & onera noſtra. Sic enim ait: *Immiſit ſoporem in Adam: ideſt Deus Pater per crucis lignum mortem in ſilium.* Succinit Alcimus Avit. lib. 1. de *Origin. Mund.* v. 163.

Geneſ. 2. 21. Auguſt.

Iſtius indicium ſomni mors illa ſecuta eſt,
Sponte ſua ſubijt ſumpto quam corpore Chriſtus.

Alcim. Avit.

Mors igitur crucis pro ſigno iucunditatem habet ſoporis? Sopore membra laſſa quieſcunt, at in cruce diſcruciantur: pat eſt via, virtute prævia: igitur quam patiebatur crucem, lectulus floridus, qui alliciebat ſoporem.

Acrius cruciamen conciliat ſoporem.

Sic quieſco, lemma fuit in ſtemmate Vituli marini. Petram Sanctam vide lib. 6. *Symbol. Heroyc.* Dum tempeſtas oritur ludit, & gaudet: igitur eâ exortâ inter ſcopulos ſtertit, & dormit. Adi Plinium *lib.* 9. *cap.* 23. & Pierium Valerianum. *Hieroglyph.* lib. 29. cap. 20. Unde illud:

Vitulus marinus in procellis quieſcit

Petra Sanct.

Sternunt ſe ſomno; diverſo in littore Phocæ.

Imperterritus homo deſcribitur, & virtus valida Martyrum in hieroglyphico plauditur: quippequàm illorum anſa conceditur quieti, dum à tyrannis devoventur morti. Dolor riſus eſt: tormenta ludibria virtutis; paſsio ſcena ſpectabilis. Prætermittunt ludentes pœnam, & intendentes in palmam. Tempeſtas crudelitatis demergit, ſed conſtantia gaudet: igitur dum plus tempeſtatibus obruuntur, dormiunt, & quieſcunt.

Tormenta ludibria virtutis.

7 Ut placeret Iudæis, cùm Herodes Agrippa detruncaſſet Iacobum, appoſuit ut apprehenderet & Petrum. Abdicunt uſquequaque ambitioſi, vel iuſti vitam, in aliorum gratiam; haud cogitantes quid liceat, ſed quid placet. Minimè pœnituit facti, ſacro innocentis cruore: etenim iteratur homicidium, ut blandientis firmetur obſequium. Mittitur ergo Petrus in carcerem liberandus ab Angelo; & vinculis conſtringitur arctè, ut magis diſpaleſceret libertatis magnitudo. Deſcendit de cœlo. *In ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Cui ſopor ita gravis, ut opus fuerit percuſsione lateris, ad hoc quòd Petrus excitaretur à gravitate ſoporis. Pe-

Minimè ambitioſus expuit homicidium, dummodò per illud firmetur obſequium

Act. 12. 6.

Petrus dormit, dum titubat vita? Quieſcit, & latâ ſententiâ? Quieſcit: ſiquidem, & morte gaudet. Stridor vinculorum, quibus, affligitur; auditur muſica, qua ſomnus placidè conciliatur. Quieſcit in pœnis: & in ſignum quietis erat dormiens; etenim virtus pectoris ita dolores perfert, quaſi qui dormit. Orta fuit tempeſtas, qua plerunque conteruntur vaſa fragilitatis, & probantur momenta virtutis: Petrus adinſtar marini vituli imperterritus quieſcit, dum mors proxima cogitationem urget. Materia fortitudinis eſt pondus, & acerbitas doloris: quam ita tranquillè deſpicit ſuſtinens Petrus: ut inter duos milites, & duabus catenis vinctus, dormiret in ergaſtulo; quaſi in lectulo florido.

Petrus dolores perfert, quaſi qui dormit.

Valido cordi cervical ferrum, quies obſcuritas latumiarum, ubi vigilans virtus, & ſoporatur cum corpore metus. Vigilia indicaret in Petro formidinem: ſomnus portendit cordis tranquillitatem: & dormit placidè, illudens morti; ſiquidem illi illius acerbiſsimus cruciatus vigili riſus, ſoporato ſomnus. Pœna, inſtans cordi, erat plus pati, & virtutem per plagas oſtendere, contentione ſpectabili virtutis, & doloris. Vicit potentior: & Petrus dormit in utramque aurem, arbitrans etiam mortem imbecillem, cruciamina timida, vincula formidantia; quoniam Petri dolor vinculorum in vinculis, non ſunt vincula, ſed inanitas doloris: ſiquidem tot procellis labor haud miniſtratur, ut paveat; ſed ut ſedeat.

Vel amaritudo mortis eſt lenocinium illius virtutis.

8 Charorum filiorum causâ, vel aviditate fœminea ducitur Salome, adorans Dominum, ut in filijs conſequeretur principatum. Supplex libellus brevis, & cauſa gravis. *Dic* (ait immemor futurorum, memor præſentium) *ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Dominus verò intelligens preces eius ex filiorum deſcendere voluntate, dicit illis: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Quid eſt hoc? Abditur ſanè ſententia, reſponſione prorsùs abſona. Per ſedem ſignatur cùm in profanis (ut obſervat Pierius Valerianus lib. 43. *Hieroglyph.* cap. 6.) cum quiete ſecuritas, imò etiam dignitas: iuxta illud Naſonis in *Faſtis* 4.

Matth. 20. 21.

Ibid. v. 22

Pier.

Et nova conſpicuum pondera ſenſit ebur.

Ovid.

Tùm in Sacris ut patet Apocal. 4. 2. Per calicem paſsionis acerbitas. Vide Doctorem Maximum lib. 3. *Commentar.* in *Matth.* cap. 20. & Pierium Valer. ubi ſupr. *lib.* 56. *cap.* 39. & *lib.* 58. *cap.* 43. Quodnam igitur conſortium intereſt paſsionis, & quietis, aviditatis, & mortis, ut illis quærentibus requiem, propinet paſsionis calicem? Patet diverſitas. Minimè: illis duntaxàt eſt in morte voluptas.

Hieron.

Pro Chriſto pati, nõ eſt acerbitas ſed voluptas.

Duo filij Salome præſtabant fulmina in portentum virtutis, tanquàm anteſignani ſocietatis, in quorum pectore æſtuabant valida corda, etiam ſi caderet vita, & periculum facerent pro magiſtro, omnibus numeris reſpondentes propoſito. Unde dum mater, illis & ſibi conſulens, gloriam, thronos ambit, & ſedem; Chriſtus ſcrutans corda, promittit calicem: quippequàm tormenta, quæ alijs offeruntur ut timeant; his athletis communicantur, ut ſedeant.

Iacobo & Ioanni tormenta offeruntur, ut ſedeant.

Diſcrimen (ni fallor) ineſt ſolummodò vocibus Chriſti offerentis, & matris ſupplicis. Illa petit, ut ſedeant: ille calicem offert, ut mortem bibant; quin exploretur diverſitas, ubi in illis rutilat animi alacritas: quandoquidem gaudebunt corpore trunco, ac ſi eſſent in excelſioris dignitatis ſolio. Sedes requiei ſignum: & illorum audaciæ offeruntur in cruciaminibus ſedes; quoniam virtus tantummodò requiem habet, non habens requiem. Oſtendit profectò, qui *Fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* De quo infrà.

Virtus requiem habet, nõ habẽs requiẽ

Ioann. 4. 6.

9 Deinde: Flagellum exponitur à Doctis imperij ſymbolum. Tùm, quia plures legunt ex Hebræo: *Non auferetur flagellum de Iuda*, ubi Vulgata *Geneſ.* 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda.* Tùm, quia apud Ægyptios vulgare, ut conſtat ex Horo Apolline Niliaco lib. 2. *Hieroglyphic.* & Pier. Valeriano *lib.* 48. *cap.* 17. quin etiam apud Romanos, ut conſtat ex ſomno Auguſti, cui flagellum Iupiter obtulit, imperij inſigne. Cicero aſſerit in *Scipionis ſomno*, Plutarch. in *Vita Cicer.* & Suetonius Tranq. in *Vita Auguſti* cap. 94. Aptè enim cogitatum flagellum imperij ſymbolum; igitur plerunque aſſumuntur præſides, in flagellum ſubditorum. Vide Plutarch. de *Sera Numinis vindicta cap.* 4. ubi pulchra, & plura.

Geneſ. 49. 10.

Flagellum imperij ſymbolum.

Rex nequã ſubditorũ flagellum.

10 Verùm prætermittere ius non erit, quod refert Anaſtaſius Nicenus *quæſt.* 15. in *Scriptur.* Igitur querulo Monacho de electione Phocæ in Imperatorem, & Deo expoſtulanti, *Cur Domine Phocam feciſti Imperatorem?* Reſpondit: *Quoniam non inveni peiorem.* Subdit etiam Monachum hypocritam, & ſceleſtiſsimum, Epiſcopum factum, & in munere ſuperbiſsimum, cui Angelus dixit: *Cur ſuperbis, ò infelix! Non es creatus Epiſcopus, quòd dignus ſis, ſed quòd Civitas tali digna erat Epiſcopo.* Hinc claret, *Quare via impiorum proſperatur?* De quo nobis ſermo *Tom.* 2. *Taut.* 1. in Didaſcalijs. Iccircò Theogni-

Anaſt. Nic.

Cur Deus connivet peſsimum eligi in præſidem.

Ier. 12. 1.

Theognides ſuam videns urbem faſtu, luxu, & genio indulgentem, civibus dixit:

Theog.

Uterum fert civitas, timeo ne pariat
Virum, correctorem malæ inſolentiæ veſtræ.

Si plura deſiderantur, videndi Cyprian. *Epiſt.* 67. ad *Rogationum.* Ambroſ. in *Apolog. David.* Gregor. Magn. lib. 25. *Moral.* cap. 14. lib. 6. *Epiſt.* 7.

Vulnera in Martyribus ſunt maieſtatis emblemata.

Ergo primario inſtituto. Sceptra in mundo flagella ſunt, & rectorum, & regentium: haud throni auro fluctuantes, ſed flagella, & vulnera ſpecie throni: & dum Salome in honorem filiorum petit thronum, promittit Chriſtus flagellum; quia flagellari pro Chriſto, eſt virtutis ſublimatio: pati, ſedere: dolere, dormire: & fatigari, requieſcere: igitur ita adhæret voluptas vulnerum aviditati cordium audacium; ut idem ſit eculeum, tormenta, mortemque ſubire, ac in throno iucundiſsimè ſedere. Illis ergo vulnera, non ſunt vulnera, neque flagella flagella; ſed maieſtatis inſignia.

Marceſcit ſine adverſario virtus.

11 Ni dixeris, fieri unionem tranquillitatis, & paſsionis, in obſequium fortitudinis: igitur calix paſsionis proponitur, & excelſitas thronorum; quoniam ſi bibentes quieſcunt in thronis, morientur profectò a laboribus quieſcentes. Marcet ſine adverſario virtus. Ignis eſt: ſine laborum fomitè perit. Si adinſtar ignis vita eſt virtutis, deficiet vita ſine exercitio laboris. Perquam opportunè vita Martyrum comparatur horologio. Conſule Philipp. Picinel. de *Mundo Symbolic.* lib. 21. cap. 10. num. 124. inferentem ſchemati huiuſmodi epigraphem. *A pondere motus.* Pondus labor eſt: ſine pondere laboris, quieſcit abdubiè motus vitalitatis; & virtus marcet, quia quieſcit.

Aſsimilatur horologio.
Philipp. Picin.

Sæpe inclinatio capitis eſt origo quæſtionis
Greg.

12 Diſcutitur inter DD. vulgaris quæſtio: *Utrùm*, ſcilicèt, *Chriſtus pro hominibus exaltatus in crucem, quia mortuus, inclinaverit caput; an verò quia inclinaverit, moreretur?* Sæpeſæpiùs inclinatio capitis, vel in ligno ſublimati crucis, eſt origo quæſtionis. Placuit Gregorio ſecundum: igitur lib. 4. *Moral.* cap. 17. ait: *Quia inclinavit caput, tunc expiravit.* Eadem D. Thom. in *Caten.* & Gislandis *Dominic. Palmar.* dub. 702. Quod quidem congruum videtur, dicente Evangeliſta: *Inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Cohærent ne mortis concluſio, & capitis inclinatio? Cohærent in Chriſto. *Inclinare caput* eſt requieſcere: quippe Aſſertor ipſe ut ſolitudinem ſui pectoris ergà opus creditum indicaret; dixit *Luc.* 9. 58. *Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Vixerat laboribus, levabatur cruciatibus: & illicò ut habuit, inclinato capite, requiem, ſubivit mortem.

D. Th. Gislaud.

Ioann. 19. 30.

Fortis illicò ut habet requiem, ſubit mortem.

13 Vita iuſti cùm ſit militia, fatiſcit ſine pugna, conflictu gaudet, otioſa deficit, & labat halitus, quia à pondere motus. Reclinat caput quieſcens in cruce, devicto mundi principe, & ſuffocata morte, quam laceſſerat; qui nullo tempore, locove caput aliquantulùm inclinaverat. In cruce tunc caput inclinans, requievit; ergò tunc reclinatione capitis expiravit. *Tunc*, quoniam ſi tormentum eſt requies, qua virtus vivificatur; requies erit tormentum, quo iuſtus moritur. Ecce quomodo moritur iuſtus. *Tunc*, quia dum vita fovetur doloribus, deficit ſine fomitibus. *Tunc*, non priùs: priùs patiebatur, qui vivebat patiens: acceſsit requies; & ille cuius vitam pœna dulcis adiuvit, deficiente pœna, tunc expiravit. *Tunc.* Valebat dulcore dolorum, dum homines vivunt lactati ubere voluptatum. Vivere pœna fuit, reſpirare dolor, aura vitalis tormentum; igitur virus inſtruxit vitæ amicabiliter conſentaneum. Advertabatur tantummodò requies: ſit in ſtipite reclinatio capitis; & mors tunc obrepſit vel in ligno crucis. Non mirum, quòd obiret requieſcens, qui vivebat iucundiſsimè patiens.

Quieſcendo moritur athleta valens.

Vivit dulcore dolorum.

Et moritur voluptate.

14 Oportebat Chriſtum Dominum tranſire per Samariam, non ſolùm ut iret in Galilæam, ſed quia adventatura mulier in obvium fontem, ubi illa hamo colloquij in meliorem revocanda mentem. Serus videtur volatus, quem amor urget: & ad locum pervenit fatigatus, ut præveniret. *Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*, ait Ioannes. Quid eſt *Sic*? Fatigatus ſedebat ſic, ideſt fatigatus ſedebat. Obſtruſior nodus. Quia fatigatus, ſedet, an verò quia ſedet, ſedet fatigatus? Si fatigatus, ſedendo quieſcit. Quo pacto plus quieſcendo fatigatur? Angitur requie: angorem adamabat; & defeſſus fatigatur, quia ſedebat.

Ioan. 4. 6.

Chriſtus ſedens fatigatur.

Accepit dolorem à requie, qui duntaxàt requieſcebat in labore. Levabatur anxietate itineris, & dolebat de levamine ſedis. Angor oriebatur ex eo, quòd ſedendo non habebat: & habuit fatigatus anxietatem, quia habebat requiem. Patet ex textu. *Fatigatus ſedebat ſic.* Ergo ſic ſedebat, ſicut erat fatigatus. Quid novi? Tantummodò dolor quæritur, quia dolore tantummodò delectatur: requieſcit laſsitudine, gaudet angore; & angitur quia gaudet, & in labore ſedet. Sedet igitur in fonte ſic defeſſus, ſicut erat antequam perveniret fatigatus; igitur ſolamen ipſum angoris conciliavit perſiſtentiam anxietatis.

Gaudet angore, & angitur, quia gaudet.

15 Demùm. Audax virtutis animus fa-

tagit fortium. Habebat Chriſtus dolorem propter gaudium pœnæ, quam habebat. Unicè quærebat anxietatem, non verò gaudium, anxietatis comitem: & inter gaudium, & tormentum, nimirùm, inter tormentum ex gaudio, vel gaudium dimanans ex tormento; plus Chriſtum defatigavit gaudium ex pœna, quàm levavit amorem itineris cœpti anguſtia. Hiſpanicè appoſitiùs: *No fue el gozo de la pena, ſino la pena del gozo.* Fatigatur quidem virtus Dei, & in angore oſtenditur virtus. Ni patiatur, patitur: quieſcendo patitur; cùm amor in nulla ſede moretur. Chriſtus fatigatus ſedet: ergo fatigatus ſedebat ſic ſupra fontem, quandoquidem habebat ex laſsitudine quietem.

Quomodò nillo gaudium ex tormento, & tormentum ex gaudio?

16 Perſpicuè igitur videtur acumen ſuperioris auctoritatis. Chriſtus inclinans caput, *Tunc expiravit.* Pervenit ad finem certaminis, & quievit. Certamen vexavit? Minimè: igitur in conflictu amoris, & anxietatis, ita acre accepit vulnus à ſolamine doloris; ut potiùs crucis gaudium Auctorem vitæ opprimeret, quam tormentum. Pœna non oppreſsit, quem ab incunabulis mulſit. Inclinavit reclinans in ſacro pectore caput ſaucium, & affectus eſt graviore pœna in requie ex dolore tormentorum: igitur emiſit ſpiritum, mundum vivificantem; ex dolore illius pœnæ, & anxietatis, quæ genuerant requiem. Blanditur igitur in doloribus alacritas, cui mors voluptas.

Ioann. 19. 30.

Haud ſuſtulit tormentū, ſed gaudium.

DIDASCALIA XIX.

Non quid, ſed quemadmodum feras, intereſt.

Senec.

1 Effatur Seneca de *Provid.* cap. 2. ille dixit, quia *Mors, quæ in Catone glorioſa eſt, in Bruto turpis, & erubeſcenda.* Vide *Epiſt.* 83. Quid de Chriſti pugilibus æſtimandum, cum non ſolùm quid, quod mors, ſed quemadmodùm deſpicienda, quid ſit primum? *Tunc apparet, quanta ſit, quantum valeat, polleatque, cùm quid poſsit, patientia oſtendit.* Inſit Stoic. ibid. Ridetur puerilis ætas, quia ſuccumbit imbellis; & virtus puellæ fragilis, quia non virtus. Quoties trucibus tyrannis etſi falsò viſum; victum Virgines iri non tantùm tormentis, ſed ſpecie tormentorum? Quid igitur? Triumphum, & lauream conſecutæ ſunt per deſpectam virtutem, quæ arbitræ ſui nequibant exiſtere per ætatem. Mors ab omnibus, vel invitè toleratur: intereſt magis, quemadmodùm fertur. Tyrannus furit: virtus vel in puella deſpicit, conatus frangit: & quantunvis acriora ille certamina parat, virtus puellarum invincibilis provocat. Cataphractus Goliath ſuccumbit inermi David: tuncque apparet, quanta ſit, quantum valeat, polleatque, cùm quid poſsit fortitudo (cogitata fragilitas) in theatro ſine formidine oſtendit; igitur infirma, fortia quæque imperterrita confundit.

Virtus Martyrum vel inimicis ſpectabilis.
Idem.

Tyrannos provocat.

2 Unde, inquires, tanta virtus conditioni fragili? *Ferreos Chriſtus quodammodò homines, & adamantinos fecit*, dicit Chryſoſtomus *Homil.* 54. in *Matth.* Fecit: at quomodò fecit, ſi in arundinea debilitate carnis, conditio humana ſubſiſtit? An quia adamas *Nec ferro* cedit, *Nec igni*? Vide Iunium *Embl.* 51. Octav. Strad. *Tom.* 3. *Symbol.* 83. Silveſtrum à Petra Sancta de *Symbol. Heroic.* Pierium Valerian. *Hieroglyph.* lib. 51. cap. 36. & Philipp. Picinel. *Mund. Symbol.* lib. 12. cap. 2. v. 7. Eſtò: *Ut adamantem, & ſilicem dedi faciem tuam*, dicitur Ezechieli. Adamantis florebis virtute, in labili etiam hominis conditione: igitur non tantùm ictus amaritudinum fruſtrabis, ſed vel ipſos incurſus validiſsimè retundes.

Chryſoſtom.

Adamas virtutis emblema.

Ezech. 3. 9.

Adhuc inſtat, *Quomodò fecit*? Perpende. Adamas cruore molleſcit, teritur, frangitur, rumpitur. Conſule Hugonem de *S. Victore* tom. 3. *Miſcell.* l. 2. *tit.* 14. Hieron. in cap. 7. *Amos.* Cyprianum lib. de *Duplici Martyrio*, Pier. Valerian. ubi ſup. & Plin. *Præfat.* in *lib.* 20. & lib. 37. cap. 4. Vitrū vero ſāguine humano dicitur ſolidari, quod quidē, ut non degener ſit finis ab exordio, videmus flatu gigni, & flatu frangi. Patet modò cauſa virtutis in humani virtute ſacri cruoris. De quo diſerui *Tautolog.* 1. *Didaſc.* 10. num. 10. Adamas ſanguine frangitur: vitrum autem ſtabilitur. Quid expreſsiùs ſignabitur adamante, quàm durities tyrannorum; & labili vitro, quàm fragilitas mortalium? Suos athletas, virtutis aſſeclas, Agnus proprio ſanguine è ligno crucis ad pugnam unxit, & ferreos quodammodò, & adamantinos fecit, igitur ſubactis ingenijs crudelitatis, in trophæum virtutis, adamantini cordis oſtendit firmitatem omninò futilem; & fragilem conditionem duriſsimum adamantem.

Adamas cruore molleſcit.

Vitrū ſolidatur.

Virtus ſanguini Chriſti qualis?

Ignota erat tùm poſtificibus, tùm Imperatoribus Ethnicis, radix fortitudinis in inanitate corporis, quod quidem quaſi vitrum iudicabant conterendum. Laniant corpora, lancinant, vulnerant, torquent, diſcerpunt. Ita ut exta per tergora pateant, &

Torti martyres vincunt torquētes.

viſcera rubeant. Torti vincuntur? Torquentes. Plura quæ cogitant, fiunt in obſequium virtutis: igitur corpus vitrum concuſſum, ex quo ſanguis copiosè perfunditur, copioſiore ſanguine plus ſolidatur.

Pſalm. 20 v. 4.

Corona pretioſa Verbi Dei eſt humana caro.

3 Intende. *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo*: ait Regius Pſaltes. De Chriſti humanitate intelligitur auctoritas. Vide Lorin. & Genebrard. hìc. Quænam ſit huiuſmodi corona ambigitur. Iudicarem nullam aliam eſſe, quàm humanam carnem, dum Verbum divinum ſubivit hominem, igitur verus Salomon in clauſtro Virginis, in die deſponſationis, viſus eſt à Filiabus Sion diademate pretioſo coronatus & pancarpiâ redimitus. *Ideo*, verba ſunt Pauli, *ingrediens in mundum dicit: corpus autem aptaſti mihi.* Hebr. 10. 5. Macte coronâ Princeps. Aptiùs dixerim: Mactæ coronâ homines. Verùm quomodò caro eius dicitur, quantumlibèt pretioſus, lapis? Nonne in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo? Profectò. Qua igitur via tamquàm lapis plauditur aſſumpta caro?

Caro Chriſti cur dicitur lapis.

Conſtantia diræ promitur paſsionis, & plùs conſtantia virtutis. Tormentorum cohors, ut prævaleret, unà ſe confert: at ille ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper ſe proceſsit. Inexcogitabilia pro victoria cogitat ingenium tyrannidis, & minimè infirmabant perſiſtentiam virtutis, quæ immota, glorioſa, victrix ſtabat; dum flagra, & vulnera caro mollis accipiebat: diciturque corpus patiens ex lapidea duritie; quia ita ſuſtinebat ictus, quaſi non eſſet ex carne. Firmitas ſignificatur plerunque per lapidem, qui uti videmus, difficilè frangitur: inconſtantia autem per carnem, quæ ipſamet conſtitutione teritur: & dum corpus humanum aptatur Verbo, quaſi lapis deſcribitur ſacra caro; quippe ita ſtetit conſtantia, urgente paſsionum pœnâ, ut videretur lapideum, cùm corpus tortoribus exhiberet carneum.

Ita ſuſtinuit ictus quaſi non eſſet ex carne.

1. Pet. 4. 1.

4 Dicit Apoſtolorum vertex, & Primas Petrus. *Chriſtus* (ait) *paſſus eſt carne.* Emphaſis proculdubio latet ſub verbis. Tormentum crucis ſummum fuit. Ut gigas in carnem irruit, ſed caro pertulit: & ita pertulit, ut videretur tortoribus incredibile, quòd tot cruciamina pateretur in carne. Unde debuit cor ingratum perſolvere gratias, inde perperàm extruxit iniurias. Agnoſcunt debitum; & inficiantur, quia maximum. Plus igitur illius charitati concedunt, ubi plus adimunt: igitur cogitavit, quòd carne firmiter pateretur, quod illis impoſsibile uti ingratis, videbatur. Paſſus eſt, & pro nobis tanta paſſus. Floruit inconcuſſa concuſſa virtus: ſiquidem paſſus eſt carne ſenſibili, quaſi non eſſet ſenſibilis carne. Aptè enim lapidi confertur corpus patiens, ut graphicè conſtet eius virtus contra adverſa perſiſtens. Lapis inſenſibilis eſt: & ita immobili fortitudine crucifigitur, quaſi nihil in carne pateretur; vel pro carne corporis, haberet perferens, inſenſibilitatem duriſsimi lapidis. Negat Iobus æneam ſui corporis carnem, & etiam in carne lapidum fortitudinem; quoniam importabile videbatur fragilitati corporis, quod portare nequibat inſenſibilis lapis. Prominet in Chriſto conſtantia, quæ fulſerat in Iobo tanquàm in umbra, quippequàm caro fragilis in acerbitate tormentorum, oſtendit cunctis fortitudinem lapidum.

Ingrati negant debitum, dū micat māximum.

Chriſtus ita firmiter paſſus eſt carne ſenſibili, quaſi non eſſet ſenſibilis carne.

Iob 6. 12.

Pſalm. 17. 35.

5 *Poſuiſti ut arcum æreum brachia mea*, dicebat Patri Chriſtus pendens in cruce. Quomodò ut arcus æreus futile corpus? Quia futile carnis auxilium, dixit Ieremias: *Ponit carnem brachium ſuum.* Si brachium carnis nullius entitatis, & eſt carneum brachium humani corporis; abſona erit prorsùs ſimilitudo carnis, & æris. Minimè in conſtantia virtutis, & inanitate carnis. Haud eſſet fortitudo, quòd ictum repercuteret validum æs, & indomitus adamas: mirum ſanè, quòd ſuccumbens prævaleret fragilitas: & ut eſſet in admirationem quid, & quomodò à Chriſto paſſum, reſtitit brachium carneum, ut brachium æreum.

Ier. 17. 5.

Brachium eius carneum fortitudo fecit æneū.

Aſtipulatur Eliæ encomium à Iacobo prolatum. *Elias* (inquit) *homo erat ſimilis nobis paſsibilis.* Singulare planè elogium, ut Neochriſtiani herois tanti imitarentur exemplum. Varijs perſecutionibus petitus eſt, ita ut ſæpe circa lumina etiam volitaret mors, ſed nunquàm curvus animus, nec cæſpitans virtus. Paſsibilis, ut homo erat; at ita adverſa firmiter tolerabat, ut intuentibus ineſſet congruè admiratio, quòd ita pateretur, & eſſet homo. *Similis nobis paſſibilis*, & fortitudinis ſplendor præ virtute hominum ſingularis. Petitur, verùm virtus non percutitur. Mors impendit, cæterùm validè inſiſtit. Vide Eccli. *cap.* 48. Haud confregerunt perſecutionibus hoſtes: & in laudem dicitur homo, ſimilis nobis paſsibilis; quia ita fortiter patiebatur, quaſi non eſſet paſsibilis ſimilis nobis.

Iacob 5. 17.

Cur Elias dicitur Homo paſſibilis?

6 Lapis dicitur caro Chriſti, & pretioſus lapis: *Poſuiſti ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo.* Prætioſus? Næ: hæc eſt enim pretioſitas, quæ affecit carnem: nimirùm, quòd haberet lapidis fortitudinem,

ubi ſup.

de

demonſtrans vulneribus inſitam fragilitatem. Lapis pretioſus inter omnes lapillos plauditur adamas, ut obſervat Philipp. Picinel. de *Mund. ſymbol.* lib. 12. cap. 2. num. 28. & 38. quare extollitur à Plin. ubi ſupr. *Opum gaudium*: & Dum Verbo Divino aptatur corpus carneum, corpus dicitur adamas lapis pretioſus; quia inimici iudicantes virtutem conterendam per carnis fragilitatem, invenerunt inexpugnabilem adamantinam virtutem.

Phil. Picin.

Plin.

Adamas opum gaudium.

Alij autem cum Hieronymo pro *Lapide pretioſo*, legunt *Auro obrizo.* Aurum firmitatis eſt ſignum: & congruentior videretur metaphora vitri pro fragilitate carnis, quàm aurum, ſchema inconcuſſæ fortitudinis. Corpus Chriſti in cruce ſuſpenditur, caro eius in fruſta quaſi vitreum vas conſcinditur: & non vitrum, ſed aurum dicitur tolerans tot vulneribus crucis tormentum; quia virtus eius reſtitit impugnantibus ſuper aurum: igitur apparuit in corpore firmitas auri, ubi iudicarunt allidendum, tanquàm vas figuli.

Hieron.

Pro fragilitate vitri, ſufficitur in Martyribus conſtantia auri.

Ab iſtiuſcemodi profuſione ſanguinis orta ſunt in Martyribus æſtimabilia momenta virtutis: *Chriſto igitur paſſo in carne* (ait Petrus) *& vos eadem cogitatione armamini.* Tormenta videntur importabilia, præcipuè quia non ſaxea, ſed carnea corpora: armamini igitur cogitatione, eius qui paſſus eſt carne: ſiquidem in fragilitate corporis, illuſit ita tormentis; ut potiùs crederetur compactus ex adamantis duritie, quàm ex ſenſitiva carne. Fatigatur crudelitas patientia: ineſt corpori, quæ adamanti conſtantia: & cuncti ſtupent, perferri in languida conditione corporis, quæ non valet ſuſtinere vel obſtinatio lapidis.

1. Pet. 4. 1.

Ineſt carni patienti adamātina virtus.

7 Audias Paulum diſſerentem: *Spectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus.* Verùm ubi? In ſuggeſtu? Neutiquàm. Dum Deus oſtendit tanquàm morti deſtinatos. Perquàm pulchrè exclamavit Senec. de *Provid.* cap. 2. *Ecce ſpectaculum dignum, ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compoſitus, utique ſi & provocavit.* Morti deſtinantur, lacerantur, proteruntur, & ipſos patientes Angeli, homineſque mirantur? Iurè. Non erit ſpectaculum, & novum, cum mala fortuna contendere, provocare, & victos fortunam vincere? Nonne theatrum iucundiſsimum, accedere ad mortem, & gaudere? Meritò utique homines, & Angeli ſpectaculum contuentur ſtupentes; quia non videntur, cùm videntur homines.

1. Cor. 4. 9.

Senec.

Spectaculum Deo dignum fortis cum mala fortuna compoſitus.

Spectaculum (infit Alapid. hìc) *digna admirationis*; & etiam Angelis: igitur prævalet pugnax in theatro hominum virtus, quaſi non haberent ſenſibile fragile corpus. Vulnerantur, excarnificantur, & immobiles perſiſtunt. Grande omninò theatrum! Cæditur enim, quin cedat caro ſenſibilis, quaſi cæderetur lapis. Spectaculum apparet Angelis dignum, quòd prævaleat fragilitas, cui cederet adamas: & rutilet oppoſitio adamantis in inanitate futilis corporis.

Alap.

Et Angelis.

Si novum Angelis, quid hominibus? Caro vitrea eſt, & ſimilitudo ad unguem quadrat. Vitrum ergo frangitur, non flectitur. Martyres appoſitè in vitro luculenter deſignantur: ſiquidem nunquàm virtus flectitur in propoſitio; quanvis vulneribus confringatur caro. Hoc patet argumentum admirationis hominum in fortitudine pugilum: quandoquidem non hominis virtus videtur in homine, & vitri fragilitate.

Et hominibus.

Vitrum cur Martyrum ſymbolum?

8 De auro dicitur, quòd ſit docillimum, fortiſsimumque, unde in bracteas ſubtiliſsimas extenditur, & ut ſolidius metallorum apprimè vermiculatur. Vide Plin. *lib.* 33. *cap.* 3. Inter carnem Martyrum, & virtutem dividitur duplex auri conditio, ut fulgeant probati cruciatibus tanquàm aurum: igitur etſi caro conteratur in minutiſsimas partes, ſoliditas perſiſtit invincibilis virtutis. Spectant homines hilariter, quod novum: & fiunt deſtinati Martyres morti, hominibus ſpectaculum; quippe ſic gaudent vulneribus concuti, quaſi non eſſent ex carne. Cedunt enim vulneri corpora, ſed minimè labat animorum conſtantia. Conſtant ex oſſibus & nervis? Conſtant, & ambigitur oculis. Vim tormentorum, & torquentium frangunt, incurſus rumpunt, & reprimunt. Carnifices laſſant, lanienas provocant. Ecce ſpectaculum Angelis, & hominibus dignum: etenim cruciatibus proſtituunt carnea corpora, quaſi eſſent marmora. (Sanè felicius dixerim, quàm aliò Ovid. lib. 5. *Metam. Fab.* 1.

Plin.

Gaudent Martyres concuti, quaſi non eſſent ex carne.

Corpora haud videntur humana, ſed marmorea.

———Simulachra videt diverſa figuris, Ovid.
Agnoſcitque ſuos, & nomine quemque vocatum,
Poſcit opem: credenſque parum, ſibi proxima tangit.
Corpora marmor erant.)

Non quia lapidea ictibus validiſsimæ macerationis; ſed quia ſenſu ſtabant fortes, æquè ac eſſent inſenſibiles lapides. Simulachra hominum, & non hominis: fovente admirationem hominum, quòd perſtarent ſenſibile ſimulachrum. *Lapides vivi* plaudun- tur à Petro, tunſionibus tormentorum perpoliti. Quàm aptè! Vita repugnat lapidibus,

1. Pet. 2. 5.

& ſi-

Non homines, ſed hominum ex lapid. ſimulachra.

& ſignantur lapides vivi, affecti doloribus; ut fierent hominibus Martyres ſpectaculum novum: ſiquidem undequaquè mirum, quod ſentirent tot tormenta viventes, & perferrent tanquàm lapides. Idcircò conſultò dixit Apoſtolorum Dynaſta *Tanquàm*. Particula comparationis eſt. In arena contendit prævijs doloribus mors. Intereſt, quemadmodum fertur, & non quid: quapropter tanquam lapidis vivi effertur athletarum virtus; ut ab admiratione theatralis extorqueatur plauſus: quandoquidem humana corpora pugilum non videntur humana, ſed marmorea.

Imò lapides vivi.

Habac. 2. 19.

9 Epichetum lapidis mirandum profertur à ſacro Vate Habacuco. *Lapidi tacenti*, ait. Lapis ne clamat? Clamat dolens: & præſtat mirum, quòd homines dolentes, conticeſcant cruciatibus quaſi lapides. Ex lapidibus homines fuiſſe formatos fabulantur Poëtæ. Ovid. lib. 1. *Metam.* Fabul. 7.

Ovid.

Forma patet hominis, ſed uti de marmore cœpta,
Non exacta ſatis, rudibuſque ſimillima ſignis.
Quæ tamen ex illis aliquo pars humida ſucco,
Et terrena fuit, verſa eſt in corporis uſum.
Quod ſolidum eſt, flectique nequit, mutatur in oſſa:
Quæ modò vena fuit, ſub eodem nomine manſit:
Inque brevi ſpatio Superorum numine, ſaxa
Miſſa viri manibus faciem traxere virorum.

Homines ex lapidibus.

Hominum corpora formantur ex lapidibus: cæterùm Martyrum convertuntur in lapides. Saxa non percuſſa ſilent: horum corpora vel percuſſa tacent.

Angerona Dea à taciturnitate, Angeronia ab angore.

Dixi de Angeronia Dea hìc *Didaſc.* 15. num. 3. & ſeqq. Ab aliquibus non *Angeronia*, ſed *Angerona* vocatur. Eadem Dea, ſed diſcretis officijs, diſcrimine nominis. *Angeronia* ab angore, *Angerona* verò dicta à taciturnitate. Unde Ovid. ubi ſup. *lib.* 9.

Ovid.

Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.

Ubi plus Martyres premunt tormentorum angores, ſtant tanquàm lapides tacentes.

Si pulchra, & ubertim deſiderantur, oportet conſulere Auguſtin. de *Civitat. Dei* lib. 18. cap. 5. Vives hìc. Lil. Gyrald. *Syntagm.* 1. & 17. Martian. Capell. *lib.* 1. Apuleium de *Aſin. aur.* lib. 1. Raviſ. Textor. *Offic.* lib. 1. cap. 9. Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. Vincent. Chartar. de *Imag. Deor.* & Nicolaum Cauſin. *Parabol. lib.* 2. *ſymbol.* 12. Hæc fabuloſa: intende in vera, quia ex affectibus, vel geſtis hominum fictæ ſunt imagines Numinum. Angor, & ſilentium coluntur ſimul ab Ethnicis; & exhibetur veritas in Martyrum ſtrenuitate virtutis, præcellente conſtantiâ Gentilium vacua figmenta: igitur dum plus aggravant tormentorum angores, ſtant conſtantes tanquàm lapides tacentes. Caro utique ſentit vulnus, ſed non animus.

Apoc. 15. 3. v. 6.

10 Optimè ſe mihi offert viſio ecſtatici Ioannis præ omnibus iurè plauſibilis. Qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius (ideſt diabolum, & ſimulachra, queis à cæcutientibus Paganis adorabatur) cantabant Domino: *Magna, & mirabilia ſunt opera tua.* Quænam ergo? Quæ canticum ſupponit, viſio ſignavit: *Exierunt* (ſubdit) *ſeptem Angeli veſtiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Pro *Lino mundo*, Biblia Antiqua, Beda, Haymo, & alij legunt: *Veſtiti lapide mundo.* Illuſtre namque panditur ſacramentum, pro virtute puellarum Martyrum, Virginum: ſiquidem corporati Angeli degunt in terris, indutæ candore puritatis; & zonâ aureâ validiſsimæ virtutis. Hinc etiam liquet, dùm dicuntur ornati Angeli *lapide mundo, & candido*; non abs re ſignari carnem Verbi *Coronam de lapide pretioſo*, de quo diximus *num.* 3. *Corona hæc* (ut obſervavit Lorin. in *Pſalm.* 20. v. 4.) *certamen connotat*: & nequibat inire pugnam, & obire paſsionem, niſi per carnem.

Bibl. Antiq. Bed. Haym.

Lorin.

11 Modò ad viſionem deflectatur cogitationis acumen. *Angeli* apparent *Veſtiti lino mundo, & candido*: ideſt, *Lapide pretioſo.* Quodnam conſortium inter lapidem, & linũ? Si huiuſmodi ornatus ſignificat corpus, vel materiam corporis, quomodò corpori inerit fortitudo lapidis? Aptiùs cadit pro ſigno imbecillitatis animati luti, ſpecies byſsi, quàm figura ſaxi. Quid igitur dicemus? Conciliabuntur quæ apparent contraria; igitur hæc ſunt, quæ plauduntur mirabilia. Lapis pretioſus haud facilè frangitur: byſſus verò commodè rumpitur: hæc tenuitate ſignificat ætatem puerilem: lapis autem firmitatem: & in Virginibus terrenis Angelis, fulget cultus lapidis pretioſi, & mundiſsimæ byſsi; quia dum à tyrannis caro rumpitur ut byſſus, virtus ſtat tanquàm lapis pretioſus.

Dùm caro rumpitur, ut byſſus, virtus rutilat, tãquam lapis pretioſus.

Aliter promam. Lapis iacet inſenſibilis; patitur conditio carnis, ſed minimè demonſtratur in tormentis. Exprimere patiendo paſsionem, erat fovere tyranni ſpem de conterenda virtute, per carnis fragilitatem. Nitebatur itaque fiduciæ futilis machina, in eo quòd eſſet tenuis, uti lini, corporis tela: fecit cruciatibus impetum, & etiam carnis fragilitas fruſtravit intentum: quippequàm ita hærebat diris cruciatibus inconcuſſus animus; quaſi adinſtar lapidis corpus haud pateretur vulnerum ictus.

Patitur, quaſi non pateretur.

Fortitudo mirabilis, dum ſtat fragilitas invincibilis.

12 Deinde. Indumentum hominis nudi eſt corpus, quod ſanè tenerum in Virginibus. Nonnunquàm teneritas, & fragilitas ſunt affines, ſeu potiùs individuæ ſorores: & induuntur Angeli Virgines lapide, & byſſo, ut magis promineat in lino corporis fortitudo lapidis: quandoquidem reſiſtit validè fragilitas puellæ, tanquàm ſi non conſtaret corpus ex carne. Linum quia maceratur, & carminatur, ſignat noſtram mortalitatem, quæ quotidie teritur. Lapis immutabilitatem innuit, quippe impetus frangit: & ornantur teneræ puellæ lino tenuiſsimo, & lapide; quoniam ſi uti mortales patiuntur tyrannorum inventiones, in ipſa paſsione ſpectantur immortales. Patent utique mirabilia in Dominum adiutorem decantata: etenim mirabile, quòd in corpore carnis ſenſibilis, reperiatur virtus inſenſibilis adamantis. Denique: de lapidibus pretioſis aſtruitur (adi Rueum de *Gemmis*, & Plin. *lib.* 37. cap. 10.) quòd minimi & exiguiores, ſolidiores ſint. Patet in Virgunculis miraculum, quod nemo experitur in gemmis propter diſpendium: igitur ſi vel in pueritia prævalet talis virtus; quid novi, quod plaudantur lapis pretioſus?

Vel in morte immortales.

Virgines cur dicantur lapides pretioſi?

Plin.

13 Inter florum venuſtatem, Dioſpyri deſcribens Plinius *lib.* 27. *cap.* 11. ait: *Nihil eſt mirabilius.* At quare? dicit, & ſaxò: *Gerit in cacuminibus lapillos candore, & rotunditate margaritarum, duritiâ verò lapideâ. Nec quicquàm maiore quidem miraculo aſpexi. Tantus eſt decor, velut aurificum arte alternis inter folia candidantibus margaritis: tàm exquiſita difficultas lapidis ex herba naſcentis.* Quod (neſcio, an iuſtè) arbitror in hiſtoria Pliniana figmentum, in ſanctis Virginibus rutilat ſingulare miraculum. Tyrannus rebatur ſubigi in flore ætatis crebris quæſtionibus fragilitatem Virginis: at micabat in tormentis conſtantia, duritie lapidea; quippe in tenera ætate futilis floris; opponitur tyranno inflexibilitas lapidis. Nec quicquam maiore quidem miraculo aſpectum, & nullum admirabilius ſpectaculum. Tantus decor eſt, ut poſtifex inveniat duriſsimum lapidem, cum iudicaret detruncari florem.

Dioſpiri flos qualis?

In propudium tyrannidis, rutilat virtus, vel in tenuitate floris.

3. Reg. 7. 22.

14 Fecit Salomon duas columnas æreas, in quarum opere apprimè prominebat artis venuſtas. Primam vocavit *Iachin*, ideſt, *perpetuitatem*; ſecundam autem *Booz*, ſcilicet, *fortitudinem*, ſed *ſuper capita columnarum* (ſubdit textus ſacer) *opus in modum lilij poſuit*: Fuit huiuſmodi ſtructura umbra templi, quo ſuperædificantur martyrio Virgines tanquàm lapides vivi. Lilium ſignat florem ætatis, columna præſtat ſymbolum fortitudinis: & pro exemplari roboris tenuium ætate Martyrum, aptè exponuntur palàm columna & lilium: quoniam conatus Præſidum tentes in tormentis tenerrimam puellam; experiebantur gementes, vel in ætatis flore æneam omninò columnam. Diſcerpere cogitabant virtutem floris cum ætate prominentem, intuentibus oculis in puellis tantùm ætatem: ſed ex ære proponitur cruciatibus; & opponitur perpulchrum lilium; quia columnam torquebant, & non florem, etſi florem, florem æneum.

Columna & lilium hieroglyphica Martyrum.

Quomodo lilium & æreum?

Plin.

15 Obſervatum fuit à Plinio ex gleba fieri gemmas pretioſas artificum ingenio, decuſſo ab illis ut fulgeant terreno vitioſo. Vide *lib.* 37. *cap.* 12. Hæc ars non aurificum, ſed carnificum fuit, & tyrannorum: quandoquidem per tormenta Martyres, qui materia terreni, rutilabant propalàm tanquàm lapides pretioſi. Videris quæ diximus *Tautolog.* 1. *Didaſcal.* 10. num. 12. de *Trulla cæmentarij*, pro qua legunt plures, *Argilla*, *Cryſtallus*, *Adamas*: quæ omnia diſcuterentur, ni protraherer. Torquentur Martyres, nec labant: diſtorquentur, nec vacillant: quinimò dum amplius in vulneribus exprimunt tenuitatem, explicant etiam animi fortitudinem.

Qui terreni, tormentis ſiunt lapides pretioſi.

Cauſin.

Primus Romæ Conſul, uti refert Nicolaus Cauſinus lib. 3. *Parabolar.* ſeſe contulit in Delphos, pro Republica, cui ſtudioſè conſulebat, conſulturus Apollinem: obtulit pro munere arũdinem. Deſpicatiſsimum audicatur donum Conſulis pro re graviſsima; ſed fracta arundine, auri Colophonij videtur incluſa pala, creſcente dono liberalitatis ſtudio. Plerunque in aris crudelitatis inventa fuit iſtiuſcemodi oblatio. Quot Virginum ſenectutis parentum ſcipiones, delatæ ſunt ante Apollinis Sacerdotes, & Imperatorum præſides? Ludibrium videbantur blandiminum, quæ futuræ tormentorum; maximè intendentibus terre, quæ necdum didicerant formidare. Species in illis fallebat arundinis, flos ætatis. Confringitur igitur arundo corporis: & dum urget cogitatum tormentum, apparet in corpuſculo arundinis ſolidum aurum: ſiquidem miris cruciatibus nequibat concuti, quod facilè credebant, tanquàm arundinem flecti. Vulneribus palàm fiebat arundo carnis, & tùnc magis præſtabat momentum roboris.

Aurum incluſum arũdine dicatur Apollini.

Confracta in Martyribus arundine carnis, magis oſtendebatur præſtantia roboris.

16 Contemplor in Virginum iſthoc ſpectabi-

ctabili triumpho, quod Ioannem obſtupeſcecit in cœlo. Angelus, qui cum illo loquebatur, *Habebat menſuram arundineam auream*. Singularis prorsùs viſio! Ex auro, & arundo? Menſura erat; verùm eſſe ex duplici materia nequibat: quomodò ergo aurea, ſi deſcribitur etiam arundinea? Aurum ſoliditsimum, & calamus fragilis: quo pacto ſolidiſsima materia arundinis? Facùl in conſtantia athletæ: igitur eadem menſura hominis, quæ eſt Angeli. Contendebat Virginis, & tyranni conſtantia pro victoria; & prævalebat conſtantia, non tormenta. Rumpebatur tyrannus; quia in arundineo corpore non inaurata, ſed aurea profectò virtus: igitur robur perſiſtebat quaſi aurum ſolidum; dum gloriatur conterendum, quaſi calamum quaſſatum.

Apoc. 21. 15.

In arundinis materia latitabat virtus aurea.

Species corporis, quæ iudicabatur adinſtar materia arundinis, invitabat crudelitatem ad pugnam; quin reretur in calamo incluſam virtutem auream. Acceſsit tormentis, ut frangeret arundineum virtutis ſcipionem, & experiebatur auream virtutem, & fidem: quandoquidem vincebat, & torta puella in theatro, quæ priuſquàm torqueretur iudicabatur arundo.

Primaſ.

17 *Habebat Angelus* (legit Primaſius) *arundinem auream ad menſuram*. Quid metiendum? Ætas, & virtus. Arboribus conferuntur homines, & fortibus; quia iam per temporis pervolutas dimenſiones devoti calamitatibus: ut patet Iſai. 41. 19. Calamus autem eſt indicium tenuioris ætatis, quæ quidem uti calamus qualibet aurà movetur flexibilis. Malè cogitat tyrannus, ſi robur ab illo menſuratur per corpus: igitur dum ad victoriam metitur per ætatem teneræ puellæ virtutem; invenit in tormentis virtutem ſupra fragilem ætatem.

Virtus præſtat ſupra ætatem.

Aptiùs in manu Angeli exponitur menſura. Hic per virtutem metiebatur ætatem, tyrannus autem animi præſtantiam per arundinem. Fallitur: ſiquidem rutilabat tanquàm aurum pectoris conſtantia, ubi ab illo arundo iudicatur leviſsima. Perperàm cogitat fragile corpus, quia promittet calamus. Menſura arundinea, & aurea eſt: arundinea, quia fragilis: aurea, ut victrix: & hoc mirum, igitur planè miraculum, quòd omnia inſtrumenta vincantur crudelitatis à Virgine tenera, & arundine corporis.

Et æſtimabilior quia ſupra.

18 *Non viderunt faciem meam in carne*, dicebat Paulus. Ubi facies, & cuius? Hoccine decipula tyrannorum in menſura cruciaminum. Iudicabant ſecundum faciem, puellarum inſuperabilem virtutem: & victi iacebant vel virtute puellæ, quia duntaxàt videbant faciem in carne; cùm illæ in arundine delicati corporis, haberent aurum inconcuſſæ virtutis. His ſuperſedeo, ſiquidem ſeq. Didaſcalia cauſam videbimus ſententiæ in Divo Paulo. Si eſt modus in rebus, etiam in tolerantia Martyrum rutilat modus. Si intereſt ſcire, non tantùm quid, ſed quemadmodùm fertur; vel in morte extremo malorum canitur.

Coloſ. 2. 1.

Virtus Martirii uti gloria ab intus.

Tempora fatalis quando ſic limitis itis,
Triſtitia concentu funera ſolor, olor.

Mors illorum inſtar Cycni.

DIDASCALIA XX.

Doctor Gentium floruit angelus terrenus, homo cœleſtis.

1 HUiuſmodi epithetis effertur Paulus à Chryſoſtom. Hom. 1. de *Laud. S. Paul.* Ideo Ioannes vidit *Cœlum novum, & terram novam*. Cœlum utique novum, quia ex materia terreſtri; & terra nova, quia ex cœleſti materia. *Morte morieris*, iuridicè denunciatur Protoplaſto, ni abſtinuerit malo, in bonum interdicto. Protoplaſto dicitur. Dicitur ne Paulo? Aliqui ſuſcitantes errorem Pythagoræ, dixerunt propter crebras Pauli querimonias de carnis involucro, animam Adami eſſe in Paulo: ut vidimus in *Expoſit. lit.* num. 19. quia dicit Tim. 1. 15. *Ieſus venit in hunc mundum, peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Locuti ſunt falſa: ecce vera.

Chryſoſtom.

Apocal. 21. 1.

Gen. 2. 17

Error transmigrationis animæ Adami in Paulum.

Credite poſteritas, Adam vos eſtis & Eva,
Et veſtræ pomum corripuere manus.
Hinc nudi, gens pelliceà digniſsima zonà,
Et pudor, & dolor, & Numinis ira ſumus.
O Deus, ò ſuperi, patientia vincitur! O quis
Qui me mortali corpore ſolvat, erit?

Herm. Hug.

Sic ſuccinit Hermann. Hugo in *Pijs Animæ deſiderijs* lib. 3. ſuſpir. 8. Mortalis fuit Adamus; & Paulus, quia Adami filius. Mortalis pater, quia in illo vel vivente, de quo ſumptus, videbatur pulvis: mortalis filius; at etiam in pulvere, videbatur à cunctis homo cœleſtis. Primus homo terrenus in pulvere, Paulus autem tanquàm angelus in carne. Ille de terra terrenus, iſte de terra cœleſtis, quaſi Angelus corporatus. Ille mortalis corpore, quo videbantur vulnera mentis; iſte mortalis corpore, ſed micabat gloria adhuc in mortalitate carnis. Vita etiam Adamo mors, ſiquidem mortalis corpore:

Paulus homo cœleſtis.

&

& mors etiam Paulo vita, igitur vel mors fulgida apparebat in carne.

Pſal. 86. 5

2 Intende. *Nunquid* (inquiebat David) *Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea?* Ly *In ea* arbitror ſignari terram, de qua in gloriam Sion (figurantis Eccleſiam) egreſſi ſunt homo, & homo. Vide latè Lorinum hìc. Homo primus fuit Adamus, Paulus ſecundus: non ſecundus antonomaſticè, quippè Chriſtus natus in terra, & ex terra Virgine, ſed comparatione (quod Hiſpanic. *Cotejo*) ex eo, quòd iterùm Paulus reformando parturit, naturam humanam, quam Adamus corrupit. Natus eſt in ea *Homo, & homo*. Natus eſt Adamus homo, & homo: natus eſt Paulus homo, & non homo, quia pluſquàm homo. Homo, & homo Adamus, quia de terra terrenus: & Paulus pluſquàm homo vel in conditione hominis; quippe de terra cœleſtis. Homo, quoniam de terra; & homo Adamus, quia mortalis corpore: homo Paulus, quia ex Adamo; & non homo, ſiquidem vel mortis gloria rutilabat in carne: ingemiſcit non ſecùs ac primus, & eò magnus, quoniam in ipſa deturpata carne, induit conditionem hominis, ſine hominis conditione. Adamus homo, & homo; quia ut homo vertibilis, amiſſa ſimilitudine, duntaxàt remanſerat Deitatis imago: & Paulus pluſquàm homo, vel in fragilitate conditionis; quippe per ſimilitudinem fulſit exactiſsima imago Deitatis.

Lorin.

Quo pacto Div. Paulus homo, & non homo?

Præſtat Deitatis exactiſsima imago.

3 Vis ſcire, quàm exacta! Ieſum in Paulo cogita, quin perſpicaciores oculi intendentes in utrumque, diſcernant Chriſtum ne, an Paulum? Semper igitur plauſa ſubtilitas florentis penicilli, in naturæ imitatione: & amplius ars meritò plauditur, quando exemplari, & imagine compoſitis, ſeriò ambigitur, & ductu linearum, & temperie colorum, & ſummitate ductuum, an imago prototypus, vel prototypus imago: igitur ut deſcripſit, quanvis aliò Profanus, & utrumque oculi mirantur pictum; & utrumque elaboratè verum. Faſcinatio igitur oculorum eſt blandimen voluptatum. Perpende.

Quænam ſummitas artis pictricis?

Hanc ne lux rapiat ſuprema totam,
Pictà Publius exprimit tabellà:
In qua tam ſimilem videbis ipſam,
Ut ſit tam ſimilis ſibi nec ipſa.
Ipſam denique pone cum tabella:
Aut utramque putabis eſſe veram,
Aut utramque putabis eſſe pictam.

Martc

Sic ergo Martialis *lib.* 1. *Epigram.* 110.

Figura ſubſtantiæ Genitoris plaudit Paulus Verbum Patris. Abſona videtur vox, etenim figura accidens eſt, & in Deo totum *Eſſe* ſubſtantiale: quo pacto Filius, qui ſubſtantiam hauſit à Patre, proponitur fidelibus nomine improprio figuræ? Ly *Figura* denotat originem paternæ mentis, ex qua ad vivum ſimilitudo imaginis; ſiquidem hunc Pater ſignavit Deus. Ly *Subſtantiæ* indicat, non figuram qualem qualem, ſeu communem, ſed figuram ſubſtantialem habentem eandem identitatem in *Eſſe* Divino, cum concipiente intellectu: & dicit conſultò Paulus, *Figura ſubſtantiæ*, de ſubſtantiali imagine, ſeu figura; ut inde clareſcat, & perſonalitas utriuſque diſcreta, & eadem omninò Divina natura.

Hebr. 1. 3

Cur Verbū dicitur figura ſubſtantiæ Patris?

Figura hoc loco dicitur Patris imago, *Ideſt* (ait Alapid. hic) *ſignum, & ſimilitudo, ex qua archetypum, ſive exemplar Deum Patrem agnoſcamus, & intueamur.* Deum nemo vidit unquàm, & Filius exponitur figura ſubſtantiæ Patris, deſcendens in terram, exacta, & divina imago; ut Pater æternus agnoſceretur in Filio. Deſcendit Filius, ut hominibus homo factus, nomen Patris ignotum manifeſtaret; & ſe exhibendo viſibilem, apprimè fecit. Erat ſpeculum clariſsimum Patris, ſignaculum eximiæ ſimilitudinis: atque pro Genitore, eius exprimitur figura ſubſtantiæ, in qua figurà diſtinguebatur Patris, & Filij perſona; non natura, vel eſſentia.

Alap.

Per filium cognoſcitur Pater cœleſtis.

4 Adimpletum reor, & congruè in Apoſtolorum maximo, & minimo, quod Aſſertor N. illis promiſit in Cœnaculo. *In illo die* (inquit) *vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Quo modo, infrà dicemus. Pater in Filio eſt, Paulus in Chriſto, & Chriſtus in Paulo. Pater in Filio tanquàm in imagine exprimente maieſtatem, & decorem: Paulus in Chriſto oſtendens imaginis maieſtatem: Chriſtus in Paulo coäptás imaginem ad vividam ſimilitudinem: & ita conformis factus imagini Patris adhuc in hac mortalitate corporis; ut ſicut Filius erat figura ſubſtantiæ Patris, ad hoc ut Pater agnoſceretur in Filio; non aliter Paulus imago imaginis, ut Filius agnoſceretur in Paulo. Ita Chriſtum induit, quamprimùm cognovit; ut animata videretur tabella, ubi rutilabat ſubſtantiæ Patris figura.

Ioann. 14. 20.

Ut Pater cognoſcitur in filio, ita filius cognoſcitur in Paulo.

In qua tam ſimilem videbis ipſum,
Ut ſit tam ſimilis ſibi nec ipſe.

Metamorphoſis charitatis eſt, quam protulit ipſe Dominus dicens: *Ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* O fides præclara! Chriſtum denique pone cum Pauli rationali tabella. Novum prorsùm intueris portentum,

Ioann. 17. 26.

Aut